UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur

Vergilius Maro, Publius

Augustae Vindelicorum, MDIC

Ecloga quarta. Pollio.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-322

Visual Library

Ecloga quarta. Pollio.

SYNOPSIS.

ASinio Pollioni, quem Augustus Imperator præcipua quadam beneuolentia dilexit, quo anno Salonas nobilissimam Dalmatiæ vrbem expugnauit, ac triumphum duxit, eo ipso anno natus est filius, quem in clarissimæ victoriæ monumentum Saloninum iussit appellari. Suetonius de Octauio quippiam simile narrat cap. 7. Infanti, inquit, cognomen Thurio inditum est, in memoriam maiorum originis: vel quòd in regione Thurina, recens eo nato, pater Octauius aduersus fugitiuos prosperè rem gesserat. Qui veterem memoriam euoluit, sæpius inuenit claris viris fortuitum euentum peperisse nomina. Sic Euripides dictus est, quoniam ad fluuium Euripum esset natus. Et Homerus principiò Melesigenes, à fluuio Melete, ob caussam similem. Syluius Aeneæ ex Lauinia filius, quia casu eum mater in sylua fudisset. De Cæsaris nomine controuersia est, de qua ex Spartiano dicemus ad 1. Georg. ibi, vrbísne inuisere Cæsar. *Huic igitur Salonino, amici & patroni sui filio genethliacum elegantissimum canit Virgilius hac Ecloga (si modò rectè vocamus eclogam) & non pauca profectò, quæ fatidica mulier Sibylla Cumana de filio Dei ex virgine nascituro, qui orbem renouaret, ac instauraret, deq; illius sæculi fælicitate prænuntiauerat (è quibus versiculi aliquot apud Lactantium leguntur) ad suum institutum accommodat. Sunt etiam quæ ad Augustum, Pollionemque necessariò referri debent. Habet Ecloga proœmiolum quoddam, quo se excusat poeta, qui materiam paulò illustriorem, luculentioremque Bucolicorum humilitati miscere ausus sit. Atque ideo nulla hîc Theocriti imitatio perspicitur, vt in cæteris omnibus. Huius Eclogæ, tanquam fatiloquæ, & diuino quodam afflatu decantatæ magna fuit apud veteres Christianos admiratio, magnalaus. Quam pene totam græcis carminibus reddidit Eusebius Pamphili, in oratione, quam tribuit Constantino, ad sanctorum cœtum: versibusq; suum genuinum, primæuumq; sensum, eos piè interpretando restituit. Quos autem Sibyllæ Virgilianis istis affines apud Lactantium reperiri suprà dicebam, hi sunt, & plures alij.*

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.
Κλῦτε δέ μευ μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

Calpurnius primam suam Eclogam, qua in fago vaticinium de fælicitate futuri sæculi à Fauno descriptum Ornitus pastor recitat, ex hac ferme totam μιμηλικῶς effecit. Eandem hanc, verè diuinam, Sanazarius poetarũ Christianorũ nemini secundus, maiorem partem in tertium de partu Virginis adiecit, nunc versibus integris, nunc more τῶν παρῳδούντων paulum immutatis. Facit autem eam (quod ipsum mirè decebat) à pastoribus puerulum Iesum modò genitum piè visentibus piè decantari.

DE ASINIO POLLIONE, ET HOC SALONINO EIVS FILIO.

ASinius Pollio historias de bello ciuili scripsit, vt ex Horatio facilè discimus, scribente libro 2. Ode 1. *Motum ex Metello consule ciuicum,* &c. Deinde, *mox & bi publicas Res ordinaris,* id est, vbi bellorum ciuilium historiam pertexueris. Et è Tranquillo, qui ita scribit in Iulio, cap. 30. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos, profligatosq; aduersarios prospicientem hæc eum ad verbum dixisse referens. Et cap. 55. quæ tamen (oratio) duplex fertur, vna quasi priore habita prælio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione. Priscianus quoq; non vno loco eius libros annalium citat, vt historias Senecæ. Suidas quidem 17. libros confeciisse auctor est. Idem Pollio poeta erat, vt ex hoc Virgilij testimonio clamatorem fuisse cognoscimus ex Senecæ controuers. lib. 4. vbi de eo sic in proœmio. Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamauit: nec illi ambitio in studio fuit. Primus enim omnium Romanorum, aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Et infra. Declamauit Pollio Asinius intra quartum diem, quàm filium amiserat. Præconium illud ingentis animi fuit, malis suis insultantis. De eo vt oratore, seu patrono, & vt de optimo senatore prædicat Horat. Ode ante nominata.

Insigne

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio curiæ.

Huius dictum fertur haud insulsum. Quum enim Octauius Fescenninos in eum scriberet: at ego taceo, inquit. *Non enim facile est in eum scribere, qui potest proscribere.* De eodem quiddam memorabile Plin. lib. 35. cap. 2. Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum (imagines in bibliothecis constituere) qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit.

Quòd vero Seruius hunc Pollionis puerum inter primordia perijsse scribit, aliter est. Duxit enim Vipsaniam Agrippæ filiam, dimissam paulò ante à Tiberio, qui ex ea sustulerat Drusum. Genuit ex ea liberos complures vtriusque sexus, quod in 3. Annal. Taciti demonstrat Lipsius: vbi hoc quoque traditum, Tacitum, & Dionem nunquam cognomen Salonini ei tribuere, contentos dixisse Asinium Gallum. De eius morte Annal. 6. Iisdem Cos. Asinij Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium: sponte vel necessitate, incertum habebatur. Ad hunc locum addit Lipsius ex Dionis lib. 58. eodem die & conuiuam Tiberij fuisse, & eo subornante damnatum. Item, hunc ipsum Asinium edidisse librum, quo patrem Ciceroni comparauit: cui rescripsit imperator Claudius. Suetonius in eius vita, Plin. in epistolis, Gellius lib. 17. cap. 1.

EXPLANATIONES.

Sicelides Musæ, paulò maiora canamus.
NON OMNES ARBVSTA IVVANT, HVMILESQVE MYRICÆ.
Si canimus syluas, syluæ sint Consule dignæ.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, REDEVNT SATVRNIA REGNA:
Iam nouo progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina: TVVS IAM REGNAT APOLLO.

SICELIDES MVSÆ) Sicilienses, vel Siculæ, id est Theocritiæ, & Bucolicæ, seu pastorales. Nominandi casus est Sicelis, quo vtitur Ouid. epistola Sapphûs.

Nunc tibi Sicelides venient noua turba puellæ.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.

Quibus in locis nobiles poetæ versati sunt, eos posteritas Musis consecratos, in suis poematis sæpe appellauit: quòd crediderint excellere illos poetas priscos non potuisse, sine dearum illarum instinctu. Sic Pieria, & Libethra propter Orpheum, Helicon propter Hesiodũ obtinuerunt, vt illinc Musæ à poetis exordientibus deducerentur, quibus etiam in locis illis ædes fuit. Sic ob Theocritum Siculas inuocat Musas Maro. Turneb. lib. 16. cap. 13. Quas hîc Sicelidas Musas, Eclog. 6. Syracosium versum nominat: & quia paululum supra Bucolicam humilitatẽ cupit se extollere, & quiddam grauius, & illustrius cantare, idcirco, vt sibi obsequantur in eo, & se adiuuent Musæ pastorales, eas hortatur. Iacob. Pont.

NON OMNES IVVANT) Non delectant. Tibull. lib. 1. eleg. 1. *Quàm iuuat immites ventos audire cubantem?* Virg. 3. Æneid. *iuuat euasisse tot vrbes Argolicas.* Horat. Ode 1. lib. 1. *Multos castra iuuant, & lituo tubæ Permistus sonitus.* In epist. ad Pisones dixit, poema animis iuuandis natum inuentumque, id est delectandis: qui locus notandus est. Propert. lib. 3. eleg. 4.

Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarumq; choris implicuisse manus.
Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in tenera semper habere rosa.

Est verò varietas mater delectationis, quemadmodum fastidij procreatrix similitudo. Atque vt non omnes eadem: sic non idem semper vnumquemq; delectare potest: & aliud alij natura iter ostendit. Iac. Pont.

HVMILESQVE MYRICÆ) Myrica siue tamarix, frutex est, ramos salignis similes habens: cuius radice vasa antiquis fiebant, è quibus, qui lienis affectu laborabant, solebant bibere. Folio est angusto, carnoso, & ferè pinnato. Cæterùm omnino sterilis.

SYLVÆ SINT CONSVLE DIGNÆ) Crinitus lib. 4. cap. 5. à quo sua in hunc locum mutuatus est Rhodig. lib. 26. cap. 5. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 3. sic philosophatur. Maior subest eruditio, ac sensus remotior, qui ex ipsis Romanorum legibus atq; decretis elicitur. Nam cautum fuit apud Romanos, vt Consules quidem ipsi curam collium, atq; syluarum haberent, vt hac ratione materies non deesset, qua videlicet nauigia publica possent à Præfectis fabrûm confici. Sicut seruatum adhuc in Veneta Republica, vti Præfectos habeant, quibus cura hæc syluarum sit demandata, vt quotannis sata illa, & arbores ex decreto publico exscindantur, ne materies non copiosa constituendis nauigijs suggeratur. Quin etiam illud veterũ libris notatum, quòd
B ipse Ancus Martius, qui Numæ nepos ex filia fuit, primus apud Romanos syluas ad vsum nauium publicauerit, & Salinarum vectigal instituerit. Fuit autem consuetudo apud Romanos, vt posteaquam in vrbe Consules creati essent, prouincias partirentur, quas instructis copijs, & parato exercitu deuincerent: quod sicubi hoc casu aliquo defuisset, tum minores obibant. Erant enim aliæ maiores, & consulares prouinciæ: aliæ rursus minores, & in quibus Consules haud amplam laudem, atque dignitatem consequi possent: veluti cum syluarum, aut collium negotium agerent. Ex quo Tranquillus de Cæsaris consulatu cap. 19. Cum Bibulo consul creatus
C est, & ob eam causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris Consulibus minimi negotij, id est, syluæ colles q; decernerentur. Qua maximè iniuria Cæsar instinctus, omnibus officijs Pompeium assectatus est, offensum patribus. Sed hoc idem ex nostris iureconsultis edisci tur, qui prouincias minores nominant, & syluarum curam in eis reponunt. Quibus facilè constat, quid ipse poeta Virgilius, iuris ciuilis, vt ait Flauianus, doctissimus insinuet. Hæc Crinitus, ex quo profecit etiam Brod. lib. 1. cap. 39. Sed apud Suetonium malè legunt & hic, & Rhodigin. *colles*, cum legendum sit *calles*. Est autem callis iter pecudum, inter montes, angustum, & tritum, à callo pedum, siue callo pecudum perduratum, seu locus, quem pecudes calcant.

Etiam syluarum curam fuisse inter officia Consulis, A memoriæ proditum est, quemadmodum apud Tranquillum in Cęsare legimus. Id quod cum à senatu ad occupandam extorti consulatus auctoritatem decretum esset, post syluarum mentionem ait, *syluæ sint Consule dignæ*: vt, quantùm depressisset Consulis dignitatem senatus, ad syluarum vsque humilitatem, tantùm suis versibus, nouaq; materiæ dignitate extollat ipse syluas ad fastigium consulatus. Scalig. Poet. lib. 1. cap. 4. Turneb. lib. 3. cap. 22. & 16. cap. 13. simpliciter ita exponit. Si canimus bucolica, cantusque pastoritios, tale tamen sit carmen, quod dignum sit Consule: referens scilicet rem ad Pollionem. Quod enim de syluis prouincia Consulum hìc solent nugari, à sententia poetæ abhorret. VLTIMA CVMÆI VENIT IAM. C. Æ.) Adesse tandem tempus illud lætabundus affirmat, quo euentus Sibyllinis prædictionibus, de beata hominum vita respondeat, pulsoq;, & profligato penitus ferreo, reuertatur sæculum aureum, id est, pro infælice fæliciſſimum. Sibyllæ decem numerantur à Varrone: Persica, Phrygia, Hellespontiaca, Samia, Libyca, Delphica, Cumana, Cumæa, Erythræa, Tiburtina: Virgilius eandem Cumanam 6. Æneid. & hìc Cumæam facit. Quatuor mundi ætates Sibylla dicitur quatuor metallorum generibus contulisse, nominasseq; auream, argenteam, æneam, ferream: quarta finita, παλιγγενεσίαν statuisse, aureamque ætatem redituram. Harum oracula prope ad propheticam doctrinam accedere, testatur Iustinus Exhortat. ad gentes in extremo, vbi digna lectu disserit de Sibylla Cumæa, quæ adducemus lib. 6. Æneid. ibi, *horrendæq; procul secreta Sibyllæ Antrum immane petit*, &c. De ijsdem Sibylliis Lactantius lib. 1. cap. 6. Omnes hæ vnum deum prædicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras, ac nobilior habetur. Ibid. ex Varrone docet, omnes fœminas vates, Sibyllas fuisse à veteribus nuncupatas: vel ab vnius Delphidis nomine: vel à consilijs deorum enunciandis: σιὸς enim deos, nõ θεὸς: & consilium non βυλὴν, sed βυλλὴν appellabant, Æolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse, quasi Σιοβύλλην. Huius prædictiones quanti facerent Romani, cum multis aliorum scriptorum locis patet, tum ex Varrone lib. de re rustica. Ad Sibyllæ libros, inquit, tot annis pòst publicè solemus redire, cùm desideramus, quid faciendum sit nobis ex aliquo portento. Vide 1. epist. lib. 1. ad Lentulum, & in eam Comment. Pauli Manutij. Iacob. Pont. MAGNVS AB INTEGRO SÆCLOR.) Periphrasis est anni magni, qui tum efficitur, cum solis & lunæ, & quinq; errantium stellarum ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatijs, est facta conuersio. Cic. 2. de nat. Deor. IAM REDIT ET VIRGO) Georg. 2. quæ sit hæc Virgo indicat. *extrema per illos Iustitia excedens terris vestigia fecit.* Respexit autem ad locum quendam Arati. ἐκ τῶν φαινομένων. Καὶ τότε μισήσαζε Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν Εἰπλατ' ἐπουρανίη. Vrsinus.

Allusisse mihi videtur ad hunc poetæ locum de reditu virginis, id est, Iustitiæ, & aurei sæculi, id est integritatis, & innocentiæ morum, seu veræ pietatis Lactant. lib. 5. cap. 7. cùm agit de aduentu filij dei ad homines. Subijciam verba. Sed deus, vt parens diligentissimus, appropinquante vltimo tempore nuntium misit, qui vetus illud sæculum, fugatamq; Iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis, & perpetuis agitaretur erroribꝰ. Redijt ergo species illius aurei temporis: & reddita quidem terræ, sed paucis assignata Iustitia est, quæ nihil aliud est, quam dei vnici pia, & religiosa cultura. Quod Corradus in 1. Æneid. & ex eo Ramus narrant de duobꝰ, Secundiano pictore, & Marcelliano oratore, his, atque adeo huius Eclogæ versibus consideratis, ad christiana sacra illos accessisse, videtur commenti simile. Nempe argumenta nulla πιθανότερα vel legerant, vel audierant. Nunc Calpurnij mihi imitationem vide, ex eclog. 1.

Aurea secura cum pace renascitur ætas,
Et redit ad terras tandem squalore situq;
Alma Themis posito: iuuenemq; beata sequuntur
Sæcula.

Iacob. Pont. REDEVNT SATVRNIA REGNA) Regni eius (Saturni) tempora fæliciſſima feruntur: cum propter rerum copiam, tum etiam, quòd nondum quispiam seruitio, vel libertate discriminabatur. Quæ res intelligi potest, quod Saturnalibus tota seruis licentia B permittitur. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 7. * *De sæculo Saturni dictũ est à nobis lib. 8. Æneid. Quid sibi Virgilius his verbis velit (Saturnia regna) optimè declarat Horatius, carmine sæculari.*

Iam fides, & pax, & honos, pudorq;
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet: apparetque beata pleno
Copia cornu.

NOVA PROG. CÆLO DEM. ALTO) De Stoicorum sententia dictum, qui ἀποκαταστάσει post deflagrationem cadere de cælo semina dicunt, quibus hominum instauretur genus: qua de re Cicero. 1. de Leg. Et 1. de nat. deor. Semina deorum decidisse de cælo putamus in terras, & sic homines patrum similes extitisse vellem diceretis, deorum cognationem agnoscerem non inuitus. Turneb. lib. 16. cap. 13. C TV MODO NASCENTI. C. F. LVCINA) Infantem hunc, quo nascente, auream illam ætatem initium suum capere opinatur, Dianæ cõmendat, eam rogans, vt ei beneuola sit, & faueat. Sed Lucinam appellat, à luce, in quam partus educit: præesse enim credebatur parientibus. Quod officium etiam Iunonis Lucinæ est. Vnde illa exclamatio in Andria, *Iuno Lucina fer opem.* Est autem Diana soror Apollinis, & Cæsar Octauianus, qui tum rerum potiebatur, ab adulatoribus Apollinis nomine cohonestatus: inde sequitur, *tuus iam regnat Apollo*: quasi Octauianus qui Apollo, fratrer sit Dianæ, quod satis adulatoriè dictum est. Turnebus tamen lib. 16. cap. 13. de Augusto, seu Octauiano intelligendum negat, & sensum esse vult: faue D Diana nascenti puero, qui carmine Sibyllæ prædictus est, cui vaticinationes inspirauit Apollo, eiusq; præsagia nunc comprobata, certaq; fidem merentur, & vigent.

Deos deasúe pro diuersa dignitatis, officij, potestatisúe ratione diuersis etiam nominibus appellari consueuisse, res est in vulgus nota. Itaque quam venatores Dianam dicunt, eandem parturientes in comœdijs Iunonem Lucinam inuocant. Catull.

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Et qui alicui deo sacra faciunt, cum ignorent, quo is nomine potissimùm delectetur, nullum eorum, quæ ei tribui solent, scientes omittunt. Ex quo illud in carmine E sæculari.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Deos videlicet religiosa antiquitas obsequentiores, magisq; sibi propitios fore credebat, si, quo quisq; nomine gaudebat, eodem compellaretur. Lud. Carrio Antiq. Lect. lib. 1. QVO FERREA PRIMVM) Quidam legunt *terrea*, vt obseruauit Brod. lib. 1. cap. 39. sed malè. Legendum constanter *ferrea*: subijcit enim, *Et toto surget gens aurea mundo.* Quæ ex Hesiodo ἐν ἔργ. καὶ ἡμέρ. hausit Maro. Hesiod. Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων Ἀθάνατοι ποίησαν. Sequitur mox, νῦν δὲ δὴ γένος εἰσὶ σιδήρεον.

Teque

Teq; adeo decus hoc æui, te conſule inibit,
Pollio, & incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita, perpetua ſoluent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, diuisq; videbit
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis:
Pacatumq; teget patrijs virtutibus orbem.

TE CONSVLE) Conſul nominatur, quod conſulere populum, & Senatum debet. Niſi illinc potius, vnde Attius ait in Bruto, *Qui rectè conſul conſulat, Conſul fiat.* Conſulis renuntiandi (quod ex orat. pro Murena apparet) hæc fuit formula. QVÆ RES MIHI, MAGISTRATVIQVE MEO, POPVLO, PLEBIQVE ROM. BENE ATQVE FELICITER EVENIAT, L. LICIN. COS. RENVNTIO. Formularum antiquarum, Romanarumq; ſi qui cupidiores ſunt (omnes autem non iurisprudentiæ duntaxat, ſed literarum quoq; politiorum ſtudioſi debent eſſe quam cupidiſſimi) his ego auctor ſum, vt libros Barnabæ Briſſonij de Formulis & ſollemnibus pop. Rom. verbis accuratè legant. Extare aliquid in hoc genere modis omnibus cumulatius atque perfectius, equidem haud opinor. Iacob. Pont. MAGNI PROCEDERE MENSES) Illud tangit, quod Iulius, & Auguſtus menſes, in honorem Iulij Cæſaris, & Auguſti acceperunt nomina: nam ante Quintilis, & Sextilis dicti ſunt, & hoc etiam trahit ad argumentum aurei ſæculi. Seruius.

Turneb. ita lib. 16. cap. 13. Incipiet principium magni anni (quem cecinit Sibylla) procedere, & decurrere conſulatu Pollionis, quo naſcitur ille puer, & procedent magni menſes, non Iulius, & Auguſtus, vt ſtultè multi blaterant: ſed menſes magni anni. Nam vt magnus ipſe annus dicitur: ſic eius magni menſes. Itaque quemadmodũ annus vertens duodecim tricenûm plus minus dierum menſes habet: ſic & magnus annus duodecim dimetata, & deſcripta habet menſium ſpacia, quæ aliquot ſæcula complectuntur. Vt autem in anno magno ſunt menſes magni: ita in anno vertente menſes vertentes, qui à lunaribus differunt. Vitruuius lib. 9. cap. 4. Luna die octauo & viceſimo, & amplius, circiter hora, cæli circuitionem percurrens, ex quo cæperit ſigno ire, ad id ſignũ reuertendo perficit lunarem menſem. Sol autem ſigni ſpatium, quod eſt duodecima pars mundi, menſe vertente vadens tranſit.

Etſi vulgatiſſimum eſt, quid vocabulum *magnus* ſignificet, quandoq; tamen ſenſu accipitur haudquaquã ita triuiali: vt cum Iureconſulti patruum magnum dicunt, amitam magnam. Eſt enim mihi patruus magnus, qui patris mei eſt patruus: ſicut patruus maior, qui aui, maximus, qui proaui patruus eſt: quod Feſtus quoque A ſcribit. Sed & magnum diem appellamus, qui longis, periculoſisq; laboribus finem imponit: quod celebris valde, & in hominum memoria verſetur. Tacitus in vita Agricolæ. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem. Virg. *& incipient magni procedere menſes.* Qua ratione & magnos nautas videtur dixiſſe Flaccus ipſos, qui primi nauigare cæperunt. *Prima deûm magnis canimus freta peruia nautis.* Alciat. Pareg. Iuris lib. 8. cap. 8. TE DVCE SI QVA MANENT) Dixerat ſuperius, hoc decus æui, id eſt, ætatem & ſæculum illud optatiſſimum, vnà cum eius, Pollionis inquam, conſulatu initurũ. Pergit nunc eiuſdem magiſtratum prædicare, & promittere, ſub eo non B ſolum calamitatibus, verum etiam omni timore calamitatis ſolutum iri genus humanum. Sceleris veſtigia explicare fas eſt reliquias priorum ſcelerum, & vitiorũ. Hæ ergo reliquiæ, tanquam cauſſæ cladium noſtrarum, bellorumq; ciuilium, quibus attrita eſt Reſpub. irritæ factæ, id eſt, penitus ſublatæ, liberabunt terras in perpetuum timore pœnarum, peccatis noſtris debitarum, quales ſunt inprimis inteſtinæ diſcordiæ, & arma ciuilia, quæ deteſtatur Ode 7. Epod. Horatius. Iacob. Pont. ILLE DEVM VITAM ACCIPIET) De Salonino perſpicuum eſt dici, cuius natales inciderunt in principium ſæculi aurei, quo homines ſublatis ſceleris prope veſtigijs, vitam deorum viuebant. Heſiod. lib. 1. Ὡς δὲ θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες. D.V.P. HER.) Natus, inquit, Saloninus homines noſtræ ætatis heroas quoſdã cum dijs permixtos videbit. Nam in illa probitate, & integritate ſæculi aurei, deos cum hominibus verſatos eſſe credebant, quod rurſum futurum gloriatur poeta, reuerſo eodem ſæculo. Catull. de nupt.

Præſentes namque ante domos inuiſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant.

Turneb. lib. 16. cap. 13. PACATVMQVE REGET. P. V. O) Orbem Pollionis virtute pacatum, rectum iri à Salonino adulatoriè dictum eſt, vt & hæc omnia. Cum enim fingat Pollionis faſtos principium fore reducis aurei ſæculi, eius virtute pacatum iri orbem dicit, omni ſcelere belloq; compreſſo, quorum veſtigia vix reliqua erunt. Turneb. ibid.

At tibi prima puer nullo munuſcula cultu,
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtaq; ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgò naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes, & facta parentis

Iam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus:
Molli paulatim flaueſcet campus ariſta,
Incultisq; rubens pendebit ſentibus vua,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetyn ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Ætate, & annis Salonini pueri, vitæ huius aureæ gradus, & incrementa diſcernit. Primùm eo adhuc tenero, humum flores, & herbas effuſuram, & pacem futuram. Deinde eo iam adoleſcente, fructus maiores parituram: ita tamen, vt nonnihil laborum, & incommodorum adhuc ſit ſubeundum hominibus. Vbi vir euaſerit, tum fore fælicitatem cumulatam, & abſolutam omnino. NVLLO MVNVSCVLA CVLTV) De terra ſponte ſua fruges ſuppeditante, Horat. Epod. Ode 16. *Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis.* Ouid. Metamorph. 1.

Ipſa quoque immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus.

Itaque *nullo cultu*, eſt, inarata, immunis, raſtro intacta, nullo ſauciata vomere: quæ eſt periphraſis arationis. Iacob. Pont. ERRANTES EDERAS) Perſius prologo, ſequaces nominat: *quorum imagines lambunt Ederæ ſequaces.* Veruntamen cum hoc, tum illud adiunctum, naturæ illius herbæ conuenientiſſimum eſt. CVM BACCARE) Vtrumq; nomen herbæ eſt, & baccharis, & bacchar, ſeu baccar: hìc à baccaris ablatiuus eſt. Vide Caroli Steph. Prędium ruſt. in Horto. RIDENTI ACANTHO) Homo qui eſt ratione præditus, riſu hilaritatem ſignificat: ſic res inanimæ ſua æquabilitate, & tranquillitate quandam hilaritatem præ ſe ferunt, & veluti riſum. Vnde Lucret. lib. 1. *tibi rident æquora ponti.* Sed hæc tranſlatio non pertinet ad hunc locum: quamuis notanda ſit. Dicamus ergo aliter. Res inanimæ idcirco ridere dicuntur, eæ, quę ſunt ornatæ, magnificæ, bellæ, placidæ, tranquillæ, quia, quemadmodũ qui rident, riſu & hilaritate diffunduntur: ita & res aſpectu pulchræ, & nitentes, & politæ, hilaritate diffundunt ſpectatorem. Hor. Ode 11. lib. 4. *Ridet argento domus.* Hom. Illiad. τ. αὖγλη δ' ἠεροὶ ἶσε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών. Id eſt, fulgur autem in cælum venit: terra autem tota circùm riſit. Lucret. lib. 2.

Præſertim cum tempeſtas arriſit, & anni
Tempora conſpergunt viridantes floribus herbas.

Et lib. 4. *Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.* Ex Lamb. in Lucret. COLOCASIA) Sic, genere inquã neutro, extulit Martialis lib. 8. *Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo.* Eſt autem herba, quæ in Nilo naſcitur, folijs latiſſimis, quam nonnulli cyamon dixerunt, quæ ducitur dentibus tanquam lana, & quidem ſubtiliter: vnde in diſtichis idem.

Niliacum ridebis olus, lanasq; ſequaces,
Improba cum morſu fila, manuq; trahes.

Vnde & lenta, flexibilia. Græcis autem ἡ κολοκασία effertur pro faba item Ægyptia, ex qua Alexandrini pocula conficere ſolent. LACTE DOM. R. DISTENTA VBERA) Virg. Melibœo, *Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.* Lucret. lib. 1. *Et candens lacteus humor Vberibus manat diſtentis.* Hor. Epod. Ode 2. *Diſtenta ſiccet vbera.* Ibidem. *vt iuuat paſtas oues videre properantes domum?* Et ſat. 1. lib. 1. *Quodq; aliena capella gerat diſtentius vber.* Et rurſum Ode 16. Epod. *Refertq; tenta grex amicus vbera.* BLANDOS FVNDENT CVNAB. FLORES) Cunabula ſunt lectuli, in quibus infantes iacere ſolebant, dicta, quod, partui adhibebantur, quaſi cynabula, nam κύειν eſt Græcè eniti. Iſidor. lib. 20. Incunabula apud Plautum Amphit. ſunt faſciæ, & inuolucra, quibus infantes in cunis inuoluuntur. *Neque eum quiſquam quiuit colligare incunabulis.* In Truculento. *Faſcijs opus eſt, puluinis, cunis, incunabulis.* Turneb. lib. 9. cap. 10. Poſſunt dici cunarum inſtrumenta, & ornamenta, vt ſcholijs ſuis ibid. Lamb. interpretatus eſt. OCCIDET ET SERPENS) Per ſynecdochen ſerpens omnia venenata animalia iſto loco ſignificat, quæ poſt hæc nulla vſpiam futura ſint. Sanazarius infantulum Ieſum ſub perſona paſtorum venerans, ea quæ hìc de ſerpente legimus, ad alium quendam, quem antiquum ſerpentem Chriſtiani vocitamus, & qui nos in hoc ærumnarum pelagus, parentibus illis omnium noſtrûm communibus in paradiſo deluſis præcipitauit, aptiſſimè detorſit.

Occidet & ſerpens, miſeros quæ prima parentes
Eluſit, portentificis imbuta venenis.

Iacob. Pont. ET FALLAX HERBA VENENI) Videtur hanc herbam, quam nam intelligat, indicaſſe, cùm lib. 2. Georg. dixit, *nec miſeros fallent aconita legentes.* Venenatas ſtirpes in poſterum nullas fore prædicit. Fallax ideo, quoniam nonnulla fallunt nos ſua ſpecie, nec tam noxia videntur, quam ſunt. Aut certè, quia mortales ijs fallaciter ad nocendum vtuntur. NASCETVR AMOMVM) Amomum quid ſit, non ſatis explicant: herbam ſuauiſſimi odoris, ait Seruius. HEROVM LAVDES ET. F. P. L) De hominibus ſuæ ætatis, vt heroibus loquitur, vt aureo, & heroico ſæculo reuerſo: quorum res, & præclarè facta leget adoleſcens Saloninus. Turneb. lib. 16. cap. 13. RVBENS VVA) Horat. Epod. Ode 4. *Certantem & vuam purpuræ.* Mæcius eadem vſus figura, πορφύρεον βότρυν dixit in quodam epigrammate. Vrſinus. QVERCVS SVD. ROS. MELLA) Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Ipſæ mella dabant quercus, vltroq; ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues.

Ouid. 1. Metamorph. *Flauaq; de viridi ſtillabant ilice mella.* Vrſin. * *Roſida, ſeu roſcida mella (vltroq; enim modo ſcribitur hæc vox) ſiue quod inſtar roris ſtillabunt de quercubus: ſiue quia è rorulentis floribus ſinguntur. Nec tantùm quercus, ſed aliæ quoq; arbores hoc ſudore dulciſſimo ſudabunt. Eſt ergò συνεκδοχή.* QVÆ TENTARE THETYN RATIBVS) Aſequentibus oſtendit præcedentia, quæ vitauit quaſi laudi incongrua. Nam per nauigationem oſtendit fore auaritiam, quæ homines nauigare compellit. Per muros bella ſignificat. Per agriculturam, famis oſtendit timorem. Seruius. ALTER ERIT TVM TIPHYS) Similes prioribus illis heroibus fore dicit, quorũ celebrata eſt fama: & ita locutus eſt, vt nos, cum dicimus, alterum eſſe Solonem

lonem quempiam, alterum Platonem, alterum Apellem, &c. E græco sermone, atque adeo ex Euripide in Troadibus duxisse Virgilium hunc loquendi modum confirmat Victorius lib. 28. cap. 7. Vbi tum hoc exemplum profert, tum illa duo è 10. & 7. Æneid.

——— muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiæ, nec non exercitus alter.
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter.

De Tiphy Seneca Medea. *quæq; domitorem freti Tiphyn nouam frænare docuisti ratem.* Alloquitur Mineruam. In eadem tragœdia, infra.

Ausus Tiphys pondere vasto
Carbasa ponto, legesq; nouas
Scribere ventis, &c.

De eodem, Choro 3. vbi Argonautarum interitus recenset, eosq; audaciæ suæ pœnas dedisse vult diuinitus.

Tiphys inprimis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro
Littore extremo, procul à paternis
Occidens regnis, tumuloq; vili
Tectus, ignotas iacet inter vmbras.

Indoctus ille successor fuit vel Ancæus, vel Euphemus, vel Ergynus, auctores enim diuersum faciunt. Pausanias in Bœoticis, Tiphęenses pręcipuã sibi præ cunctis Bœotijs maritimarum rerum peritiam vindicant, Tiphyn prædicantes (cui nominatim Argus nauis gubernacula credita sunt) suum fuisse indigenam. Ostendunt verò extra oppidum locum, quo Argo ipsam Colchis reuersam applicuisse dicunt. ET ALTERA QVÆ VEHAT ARGO) De Argo Ennius Medea.

Argo, qua Argiui delecti viri
Pellem petebant inauratam arietis.

De ista naui, quæ omnium prima fuisse fertur, & consilio, atq; ope Mineruæ ædificata est, simul de Argonautis, caussaq; nauigationis, Catullus principio poematis illius incomparabilis, quod olim peruersè Argonautica, nunc verè, ac legitimè de nuptijs Pelei, & Thetidis inscribitur. Seneca in Medea. Et Lucan. Pharsal. lib. 3.

Inde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes:
Primaq; cum ventis, pelagiq; furentibus vndis
Composuit mortale genus, fatisq; per illam
Accessit mors vana ratem.

De eadem & Dares Phrygius, & copiosè ac diligenter Diodorus lib. 4. cap. 4. Versus Catulli cape.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas,
Phasidos ad fluctus, & fines Æætæos:
Cùm lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.
Diua quibus retinens in summis montibus arces
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Iam lectissimos illos iuuenes, Argonautas inquam, enumerat Higynus cap. 14. Licet eorundẽ nomina ex Orpheo, Apollonio, Valerio Flacco colligere: quorum primus habet vndequinquaginta, alter quatuor supra quinquaginta: cum quo consentit Diodorus, præcipuorum nomina exprimens: postremus quinquaginta. Nominat eosdem & Apollodorus, eorumq; iter describit lib. 1. Sed quomodo in numero, sic in nominib⁹ magna est dissensio. Iacob. Pont. DELECTOS HEROAS) Theocritus de his agens, θεῖος ἄωτος ἡρώων dixit Idyll. 13. Vrsin. ERVNT ETIAM ALTERA BELLA) Alludit ad Platonis magnum annum, & ἀποκαταστάσιν. Aristoteles quoq; Meteor. 1. agnoscit magnam periodum, quæ & magnã hyemem, id est, diluuium, & magnam æstatem, id est, deflagrationem habeat. German. AD TROIAM MAG. M. A) Quam verè hoc epitheton *magnus* Achilli Maro attribuat, passim per Iliadem cognoscas. Statim initiò, quantum eius ira, qua efferbuit in Agamemnonẽ, toti exercitui nocuerit, declarat. μῆνιν ἄειδε θεά, &c.

Dic mihi magnanimi Pelidæ Musa furorem,
Qui multas miseris clades inuexit Achiuis,
Illustresq; animas heroum misit ad orcum.

In eodem lib. Nestor. de eodem. ὅσ μέγα πᾶσιν Ἔρκος ἀχαιοῖσιν πέλε) πολέμοιο κακοῖο. Horat. Ode 6. lib. 1. *grauem Pelidæ stomachum cedere nescij:* etenim ne dijs quidem in acie cedit. De eodem Ode 6. lib. 4. *Troiæ prope victor altæ Phtius Achilles.*

Cæteris maior, tibi (Apollo) miles impar:
Filius quamuis Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille non inclusus equo Mineruæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas, & lætam Priami choreis.
Falleret aulam, &c.

De eodem lib. 12. Metamorph. Ouid.

Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Æacides caput insuperabile bello
Arserat.

Et Vlysses lib. 13. in extrema oratione, qua eiusdem arma non Aiaci, verùm sibi probat deberi.

Me miserum, quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo Graium murus Achilles
Procubuit.

Lib. 12. Æneid. Priami regnorum euersor nominatur: quo quid poterat dici honorificentius? Gloriossimum autem præconium ei necdum in oras luminis edito, ore fatidico apud Catull. in illo nobilissimo poemate de nuptijs Pelei, & Thetidis Parcæ canunt.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea præuertet celeris vestigia ceruæ.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine riui,

& quæ deinceps sequuntur, vt neúe omnia describam, neúe plures poetas ad testimonium vocem. Vrbes ab eo vastatas percenset Dictys lib. 2. De eius ortu, educatione, & quomodo inter filias Lycomedis latuerit, Apollodorus lib. 2. Statius in Achilleide. Iacob. Pont.

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari vector: nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:

Ipſe ſed in pratis aries iam ſuauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores,
Chara Deûm ſoboles, magnum Iouis incrementum.
Aſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq;, tractusq; maris, cælumq; profundum:
Aſpice, venturo lætentur vt omnia ſæclo.

FIRMATA VIRVM TE FECERIT ÆTAS) Græci ἀνδρῶν in ætatem firmam perducere dicunt, & ἀνδρῶσθαι firmam ætatem ingredi: vnde ἀνδρωθεὶς ὁ εἰσ ἀνδρας ἐγγεγραμμένος, aſſumpta virili toga. Videtur hic locus ductus ab illo Moſchi. ἦν δ' ἀνέρος εἰσ μέτεστιν ἔλθῃς. Sed & Platoni ἀνδρίζειν νεὸς θεὸς, & ἡλικία dicitur. German. Lib. 12. Æneid. *mox, cum matura adoleuerit ætas.* CEDET ET IPSE MARI VECTOR) Hunc verſum, cum duodecim continenter ſequentibus, è Sibyllæ Cumeæ vaticinijs, atque carminibus Virgilium expreſſiſſe, contendit Lactant. lib. 7. cap. 23. cuius Lemma, De mundo renouato. Ex Erythræa verò illico multa carmina ſubijcit, in quibus eaſdem ſententias animaduertere licet. OMNIS FERET OMNIA TELLVS) Infra, lib. 2. Georg. *non terra ferre omnes omnia poſſunt.* Græci δένδρον κτῆμα παμφόρον dicunt, & γῆν παμφόρον, quam & Maro reſpicit: & ſuæ condendæ ciuitati optat Plato, nõ πολυφόρον. Germ. * *De terra Ouid. 2. Metamorph.* ſuſtulit omniferos collo tenus arida vultus. *Eo ſenſu dixit omniferos vultus, quo à Græcis παντοφόρα, & cum à noſtro lib. 6. Æneid. tum à Lucretio omniparens dicitur.* NON RASTROS. P. HVMVS. N. V. F) lib. 2. Georg. *adunci vulnera aratri Raſtrorumq; fero.* Et lib. 1. de aureo ſæculo, quæ huc etiam queunt transferri, vt item ea, quæ de eodem ſæculo ex Ouid. producemus.

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant, ipſaq; tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Ouid. Metam. lib. 1.

Ipſa quoq; immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus.

Catull. de nupt.

Non humilis curuis purgatur vinea raſtris:
Non glebam prono conuellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.

NEC VAR. DIS. M. L. C) Cuius imitatione Martial. lib. 12. ad Cordubam.

Albi quæ ſuperas oues Galeſi,
Nullo murice, nec cruore mendax:
Sed tinctis gregibus colore viuo.

Scilicet lanæ Bæticæ non tingebantur, vnde & idem lib. 14. in lacernas Bæticas.

Non eſt lana mihi mendax, nec mutor aheno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

German. * *Teſte Plinio lib. 7, cap. 56. primi lanas inficere Lydi docuerunt. Perſius ſat. 2.* Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus, *id eſt, lanam ouium Tarentinarum (Tarentum quippe in Calabria) coquendo tinxit infecitq;, vt adulterinam purpuram faceret. Qui mentitur ſimulat quod non eſt, & falſitatem veritati ſtudet facere, videriq; ſimilem. Sic lana cum inficitur coloribus artificio quodam, videtur eos mentiri: quia quos ſua natura non habet, cum ijs nata à principio videtur. Omnes colores, vt purpureus, luteus, & alij deinceps natiui erunt, & ceſſabit tinctum.*

A ARIES IAM SVAVE RVBENTI) In Etruſca diſciplina obſeruatum inuenio, fælicitatem ex oue portendi, præſertim ſi ouis inſolito colore fuerit, quod mihi hìc Virgilius optimè tetigiſſe videtur. Legitur apud Etruſcos: Purpureo, aureóue colore ouis ſi aſperſa fuerit, Principi ordinis, & generis ſumma cum fælicitate largitatem auget, genus, progeniem propagat in claritate, lætioremq; efficit. Ex quo nata inter greges Atrei aurea agna, principium diſcordiarum illi ac Thyeſti fuit, fratre ſcilicet inuidia fraterna exulcerato. Vnde illa citantur à Cicerone ex antiqua tragœdia Atreo, de Nat. deor. 3.

Addo huc, quod mihi portento cæleſtûm pater
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma.

B Pierius lib. 10. CROCEO MVTAB. VELL. LVTO) Luteus color proprie croceus eſt. Æneid. lib. 7. *Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.* Varro Eumen. Nam vt arquatis & veternoſis lutea quæ non ſunt, æquè & lutea videntur. Idem Mod. Sed Cynicis inuolucrum, & pallium luteum non eſt. Hæc Nonius. SPONTE SANDYX. P. V. A) Senſus eſt, ouium paſcentium lanæ ſponte ſua egregijs coloribꝰ imbuentur, vt noua tinctura opus non ſit. Multa item ſuper hoc vocabulo *ſandyx* Brod. lib. 5. cap. 1.

Verſus hic inprimis elegans, vna in voce ambiguæ, & incertæ inter doctos interpretationiſeſt. Plin. lib. 35. cap. 6. ſandycem herbam intelligit: & vt verum fateamur, eſt concinnior ſententia, agnos inter paſcendum
C eius herbæ, quam commendat, ſucco colorari. Contrà tendunt recentiores Grammatici, nec contemnendi: cenſent enim, ſandycem eſſe colorem è ſandaracha, & rubrica temperatum, quod & Plinius ibidem retulit. Itaq; nihil afferunt, cur contemni Plinij auctoritas debeat: quæ etſi confirmanda non eſt vllo teſtimonio, debitus tamen, & non neceſſarius producitur teſtis. Heſychius enim ita ſcribit. σάνδυξ διένδρεον βαμινῶδες, ᾧ τὸ ἄνθος χρόαν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ ὡς Σωσίβιος. Videtur de herba locutus potius, quam de pigmento Gratius, cum ſcripſit. *Interdum Lybico fucantur ſandyce pinnæ.* Quaſi ea ſtirps in Libya proueniat: niſi ſi quis cenſeat, metal-
D lum illius pigmenti illic fuiſſe, aut officinam, quando in factitijs pigmentis erat: ſed illud alterum de planta verius crediderim in Gratio, vt & in Vopiſco, cuius hæc verba ſunt in Probo. Dicitur enim ſandyx Indica talem purpuram facere, ſi curetur. Turneb. lib. 15. cap. 20. SVIS DIXERVNT CVRRITE FVSIS) Catull. de nupt. *Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.* Confuſio eſt in verbis. Hoc autem dicitur. Parcæ concordes dixerunt ſuis fuſis, currite talia fæcla, id eſt, per talia fæcla, tam beata, explicate conuerſione fatali hoc tempus. STABILI FAT. NVM. PARCÆ) Ad fuſorum decurſionem videtur referendum. Tria etiam ipſi Plutoni deſtinant fata, ait Fulgentius lib. 1. quarum prima Clotho, ſecunda

Lacheſis,

Lachesis, tertia Atropos. Κλωθὼ enim Græcè euocatio A dicitur, λάχεσις verò sors nuncupatur, ἄτεγπτος quoque, sine ordine dicitur: hoc videlicet sentire volentes, quòd prima sit natiuitatis euocatio: secunda vitæ sors, quemadmodum quis viuere possit: tertia mortis conditio, quæ sine lege venit. De Parcis Gyrald. Syntag. 6. CHARA DEÛM SVBOLES) Suboles ab olescendo, id est, crescendo, vt adolescentes quoque, & adulti, & indoles dicitur. Lucret. lib. 5. *Siue virûm suboles, siue est muliebris origo.* Virgil. *Chara deûm suboles.* Festus. * *Legit itaq;, & pronunciandum censet Festum* suboles, *non* soboles, *vt vulgò solet.* MAG. IOVIS INCREMENTVM) Saloninum vocat Iouis incrementum, vt à Ioue educatum, à quo reges educari opinio erat, qui idcirco διόλεφεῖς sæpius ab B Homero vocantur. Magnum igitur Iouis incrementum, est magnus Iouis alumnus. Apud Apuleium lib. 5. Nimirum illud incrementum lenam me putauit, cuius monstratu puellam illam cognosceret: de filio suo Cupidine Venus dicit, vt sit, τοῦτο τὸ θρέμμα. Turneb. lib. 16. cap. 13. CONVEXO NVTANTEM PONDERE) Conuexum Festo est ex omni parte declinatum, qualis est natura cæli, quod ex omni parte ad terram versus declinatum est. Vide plura super hoc verbo 1. Æneid. ibi, *Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata.* Mundum tot malis pressum, grauatum, inclinatumq; intelligit, vt inde (liceat ita loqui) conuexitatem adipiscatur, nimio pondere. In primo Georg. repetiuit sequentem versum. *Deum namque ire per omnes Terras q;, tractusq; maris, cælumq; profundum.* Et 1. Æneid. de impetu, & insania ventorum.

Ni faciat, maria ac terras, cælumq; profundum,
Quippe ferant rapidi secum, verrantq; per auras.

Iam profundum, & altum vicissim dicuntur. Altum mare, altæ scrobes, fossæ, pro profundis. Contrà, cælum profundum, id est, sublime, altum, excelsum. Vide 1. Æneid. *cælumq; profundum.* Cum autem præteritis temporibus omnia in luctu & squalore fuerint, meritò imminente iam sæculo tam beato gestiunt, & exultant.

O MIHI TAM LONGÆ MANEAT PARS VLTIMA VITÆ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer. cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

SPIRITVS) Non hîc mihi *spiritus* vulgariter accipi debere videtur, sed πνεῦμα, & πνοὴ, quòd ἀνάλογον sit ad ἐμπνοὴν, καὶ ἀναπνοὴν, & pulmones, quos æuo victos, ita demum occalescere, & obdurescere Aristoteles est auctor, vt ad motum aurasq; accipiendas, reddendasq; inepti omnino facti, τὴν μάεσιν sensibus accersant. Optat ergo poeta, vt tantùm sibi vitæ (iungit enim vltimæ ætatis partem spiritui) suppetat, vt sat expedito, & vigenti in matura ætate spiritu esse possit ad laudes, factaq; fortia huius pueri canenda, & dicenda: in quo genere vetant Rhetores tam longo hyperbato orationem distinere, vt vno spiritu periodus efferri nequeat. Videtur scilicet poeta & fortia latera, & protensum halitum, vt cantores solent, expetere ad amicum D celebrandum. German. NEC THRACIVS ORPHEVS, NEC LINVS) Propert. lib. 2. eleg. 13. eodem ferè argumento.

Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu:
Tunc ego sum Inachio notior arte Lino.

Orpheus Calliopes Musarum Reginæ filius perhibetur à Mythologis. Hinc Horat. Ode 12. lib. 1.

Vnde vocalem temere insecutæ
Orphea siluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; ventos.

Quanquam Orpheum nunquam extitisse in 1. de nat. deor. ex Aristotele affirmat M. Tullius. Præterea veteres, poeticos, musicosq; homines Calliopes & Apollinis filios fuisse fabulantur. Nominantur item aliarum quoque Musarum filij (ne putemus tam sanctè virginitatem coluisse, vt Dianam, & Mineruam, de quarum amoribus nihil vspiam est proditum) Euterpes Rhesus, E Terpsichores Linus, Thaliæ Palæphatus, Eratus Thamyris, Polymniæ Triptolemus. Sed Lino matrem alij, vt Hesiodus, fuisse volunt Vraniam. Tres autem Lini feruntur: vnus ab Apolline sublatus propter æmulationem cantus: alius præceptor Herculis, & à discipulo interfectus: tertius, qui & Narcissus audiuit, Chalciopes filius. Consule prouerb. λῖνος ᾠδή. Recitare etiam hîc libet verba Pausaniæ è lib. 9. Bœoticis. Heliconem rectà ad lucum Musarum pergentibus, est Euphemes effigies è lapide fabricata. Fuisse Euphemen tradunt Musarum nutricem. Est illi proxima Lini statua, è saxo in speluncæ modum cauato prominens: huic parentant quotannis, antequam sacra Musis faciant. Genitum Linum Amphimaro Neptuni filio, ex Vrania, vulgò proditum est: Musices eum gloria superiores omnes anteisse, & ab Apolline, cui se cantu conferebat occisum. De Lini quidem morte etiam ad barbaras gentes luctus peruenit: siquidem apud Ægyptios carmen vsurpatum est, quod Linum Græci dixerunt, &c. German. Iacob. Pont. PAN ETIAM ARCAD. IVDICE) Pan deus pastoralis haud malè Arcadum numen fingitur: quum plerique pascerent, & pecuariam facerent. Arcadia regio medium Peloponnesi obtinet, quasi vmbilicus, syluis ac montibus cingitur: qualis in media Germania situs est Boëmiæ. Indigenæ, vt dicebamus, pleriq; pastores viuebant, nauigationis penitus ignari. Quamobrem naues ijs Agamemnonem suppeditasse in Catalago Homerus scribit. Militiam non nisi mercede tolerabant. Non adeo horum dissimiles videntur nostri Heluetij. Loquitur autem hic de se Virgilius, vt cantore agresti & rustico, tametsi peritissimo, & Pana se nominat, qui non solum fistula bene caneret, sed etiã eius inuentor fuisset, vt vidim⁹ Eclog. 2.

Pan

Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit. Cæterùm cum laudis sit alios vincere quocunq; in genere, multò maioris est, etiam ab amicis eorum qui victi sunt, victorem iudicari. Sic laudat Honorium in Epithalamio Claudianus.

Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet, quam dare Castorem.
Præfert Achilli te proprio Thetis.
Victum fatetur Delus Apollinem.
Credit minorem Lydia Liberum.

Iacob. Pont. COGNOSCERE MATREM) Nonius exponit, agnoscere. Cic. lib. 1. de repub. Cognoscere mehercle, inquit, consuetudinem istam, & studium, sermonemq;. Varro Sequiulysse. Vereor ne me quoque, dum domum ab Ilio cessim reuertero, præter canem cognoscat nemo. Sic Cic. epist. vlt. lib. 1. Nam illò si veneris, tanquam Vlysses, cognosces tuorum neminem. DECEM MENSES) Mirum plerisq; videtur, cur olim decimo mense mulieres parerent, cum hodie nono soleant: sed ita se res habet. Breuiores erant veterũ menses, quam nostri: cum ad lunæ cursum eos metirentur, non solis. Itaque ex Hippocratis libro de fœtu, vbi summa dierum subducitur exactorum mensium, quiuis intelligere facilè poterit, ita vt dixi, se rem habere. Ergo Virgilianum hoc de lunæ mensibus procul dubio explicandum est. Turneb. lib. 4. cap. 15. TVLERVNT) Tulerunt retineo, non *tulerint*, vt quidam turbati modulo. Lucret. lib. 3. *in illam Transtulerunt proprio quantum res nomine egebat.* Maro 3. Æneid. *steteruntq; comæ.* Tibull. *compta profueruntq; comæ.* Propert. *contulerunt cælestia munera diui.* Horat. *Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.* German. [*Martial.* Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi. *Lucret. lib. 3.* Inde alij multi, rerumq; potentes Occiderunt. *Quod aliàs facit frequenter: sed plura producere ex eodem exempla quid attinet?*] In Eunucho Terentij, in fine iambici scriptum est diserte, *postquam ædiles emerunt.* Quo plerique omnes offensi, *emerant* emendant. Laberius apud Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 7. bis *potuerunt* corripuit. *Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.* Iterum. *Etenim ipsi dij negare cui nil potuerunt.* Deniq; veteres ista præterita per systolen sæpius corripuerunt. Turneb. lib. 18. cap. 2. QVI NON RISERE PARENTES. N. D. H. M) Politian. cap. 89. Seruium cum de interpretatione, tum de lectione huius loci redarguit. Ex eo huc transcribemus, quàm breuissimè poterimus, quæ instituto faciunt. Non, cui, sed, qui legendum, hoc est, non casu datiuo, singulariq; numero, sed plurali nominatiuo: quamquam vtrobique apud veteres eadem vox ijsdem notata litteris, sicut in primo Quintiliani non oscitans lector inueniet, cui crediderim potius, quàm Seruio, cum etiam manum Virgilij citet interdum, & Ciceronis. Ita, parentes Salonini pueri, de quo nunc agitur (vt sit parentes vocandi casus) hunc qui non risere, neque deus mensa, neq; dea dignata cubili: hoc est, nec Genius, nec Iuno vitalibus auris dignum putauere hunc ex illis, qui non risere, vt sit figuratè dictum, Quintiliano teste, pro eo quod est, hunc qui non risit, vel, qui è numero est eorum, qui non risere: credebatur enim quisque habere suum deum, suamq; deam, suum Genium, suamq; Iunonem vitæ præsides. Hos igitur indicauit Maro κατ' ἐξοχήν. Mensa enim Genio conuenit, Iunoni lectus. Quod Iunius quoque Philargyrius docet, hunc ipsum ita interpretatus locum. Pueris, inquit, nobilibus editis, in atrio Iunonis Lucinæ lectus ponitur Herculis mensura. Sed & apud Varronem lectum est, initiari pueros Eduæ, Potinæ, & Cubæ diuis edendi, potandi, cubandi, vbi primum à lacte, & cunis transferrentur. Quam Varronis auctoritatem Donatus in Phormion. Terent. adducens, etiam hunc ipsum citauit Maronis versiculum, atque idem Probum quoque retulit annotasse. Mensa igitur & lectus argumenta vitalitatis, quòd initijs ipsis adhibentur. Cæterùm habet homo suam sibi ridendi proprietatem. Qui verò non rideat, ei quî potest esse vita vitalis? vt ait Ennius. * *Lege insuper Indicem Erythræi, voce, Qui. De Genio Censorinum de die natali, cap. 4. vbi hæc, præter alia. Genius autem ita nobis assiduus obseruator appositus est, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat: sed ab vtero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. Quæ, quam verè de angelis nostris tutelaribus credi, & prædicari queant, quis tam stupidus, ac tardus est, qui non intelligat? Multa de eodem M. Anton. Delrius in Medeam Senecæ.*

Turneb. lib. 16. cap. 13. sic. Arride puer matri, vt & eius elicias risum. Ridentibus enim puèrulis libenter arridet matres. Nam Vulcanum, cui parentes non arriserunt, nec Iupiter dignatus est mensa, nec Pallas cubili, quod infaustissimum ei fuit. Ne igitur tibi idem eueniat, ride, vt arrideant. Veram ergo puto Quintiliani sententiam lib. 9. cap. 3. &c.

Nunc Ioseph Scalig. explanationem, è castigat. Catulli, ad illum versiculum Epithalamij, *Dulce rideat ad patrem*, tibi referam. Manifestè hortatur puerum, omissa præpositione, contrà quam Catullus, vt ad matrem rideat, non contra, vt illi parentes. Itaque aduersatur hoc Quintiliano, qui τὸ qui, per quos accipit. At, si dixit Virgil. risere parentes, pro, risere ad parentes, vt hic loquitur Catullus, iam explodenda erit Quintiliani sententia. Similis locus legitur apud Martialem.

Te citò ridebit peregrinus Clodia partus,
Romanam ducat quam magis esse nurum.

Apud Virgil. est ἐνάλλαγὴ numerorum, *qui non risere*, & postea dicit, *hunc*. Nam nascentibus putabant adesse, mari Genium, qui est deus mensæ, fœminæ Iunonem, quæ dea est cubilis. Quæ, si verum fateri volumus, etiam sine enallage vlla, sed simpliciter dicta sunt. Paulò infra. Qui enim nõ ridebant parentes, ij putabantur tota vita ἀγέλαστοι. Et contrà, qui nolunt se paulò liberius inuitare, ij Genium suum defraudare dicuntur. Propterea in natali die inuocabatur Genius: ne mireris, quare hîc Virgilius eius meminerit. * *Addemus quoddam velut ἐπίμετρον. Anaxagoras Clazomenius in omni vita nec ridere aliquando, nec subridere visus est. A risu quoque mirificè alienum fuisse Aristoxenum inuenio. Heraclitus in rebus humanis perpetua lachrymatione prosequendis occupatus fuit. Semel tantùm risit Crassus: immo, vt ait Plin. lib. 7. cap. 19. nunquam. Quare agelastus cognomentum tulit. At Democritus Heraclito διὰ παντὸς contrarius, quotidie quam creberrimè.*

Ecloga